

7. Et hæc quidem procedunt quando scrupulus procedit de re quidem agenda in futurum: quando vero est de re præterita, duplex esse poterit. Unus, an consenserit, necne, et in hoc est regula omnium, ubi non fuerit evidentissimus consensus, non est quod timeatur, agimus enim de his, qui bona fide procedunt, et alioqui habent firmum animum nunquam peccandi mortaliter, neque est quod terreamur propter moram temporis, aut vehementiam cogitationis, nam hæc etiam sæpe sunt naturalia, et involuntaria, et interdum ex timore, postea majora apparent, quam revera fuerint.

Alter scrupulus similis est, in ordine ad confessionem, an sufficienter confessus fuerit, necne, de quo latius in materia de confessione, et est res de se facillima, nam si mediocrem diligentiam adhibuit, potest esse securus. Ex quibus etiam obiter declaratum est, quæ remedia servire possent, præsertim ad ipsum usum: nam radix tollenda est vel purgato corpore, vel certe animo, sentiendo de domino in bonitate, qui non injicit vincula, neque ab homine exigit plusquam humanam, et moralem diligentiam. Et hæc satis de hac materia ad gloriam Altissimi.

FINIS TRACTATUS DE BONITATE ET MALITIÆ HUMANORUM ACTUUM.

ELENCHUS TRACTATUS QUARTI

DE ACTIBUS, QUI VOCANTUR PASSIONES, TUM ETIAM DE HABITIBUS, PRÆSERTIM STUDIOISIS AC VITIOSIS.

DISPUTATIO I.

DE PASSIONIBUS, CONTINENS DUODECIM SECTIONES.

1. *Quid passio animæ, et in quo subjecto.*
2. *De bonitate et malitia passionum.*
3. *De generali divisione, et differentia actuum appetitus, sive passionum.*
4. *Utrum amor sit in appetitu sensitivo, et quas causas et effectus habeat.*
5. *Quid sit cupiditas, seu concupiscentia, et qualis sit divisio amoris in concupiscentiæ et amicitia.*
6. *Quid sit delectatio, et quomodo ab aliis passionibus differat.*
7. *De odio, fuga et tristitia.*
8. *Quid sit spes, et quod habeat contrarium.*

9. *Quid sit audacia, et quomodo ad alias passiones comparetur.*

10. *Quid sit timor.*

11. *Quid sit ira, et quodnam contrarium habeat.*

12. *De sufficientia divisionis passionum, et earum comparatione.*

DISPUTATIO II.

DE HABITIBUS IN COMMUNI, REMITTITUR AD DISPUTATIONEM 44 METAPHYSICÆ.

DISPUTATIO III.

DE EO GENERE HABITUUM QUI DICUNTUR VIRTUTES, CONTINENS SECTIONES DECEM.

1. *Utrum aliquis habitus sit essentialiter virtus.*

2. *Quomodo dividatur virtus in intellectualem et moralem.*

3. *De divisione virtutis intellectualis.*

4. *Qualis sit distinctio inter virtutes morales.*

5. *De aliis divisionibus, seu potius denominationibus virtutum præcipue Cardinalium et Theologicarum.*

6. *Utrum de ratione virtutis sit in medio consistere.*

7. *In quo subjecto sint virtutes.*

8. *Quam efficientem causam habeant virtutes.*

9. *An una virtus sine alia generari pos-*

sit et esse, et consequenter an sint connexæ.

10. *De augmento, diminutione et corruptione virtutum.*

DISPUTATIO IV.

DE HABITIBUS PRAVIS, SEU VITIIS, COMPLECTENS SECTIONES DUAS.

1. *Quæ sit ratio et essentia habitus vitii.*

2. *De causis vitiosorum habituum.*

TRACTATUS QUARTUS.

DE

ACTIBUS QUI VOCANTUR PASSIONES

TUM ETIAM DE HABITIBUS, PRÆSERTIM STUDIOISIS, AC VITIOSIS.

DISPUTATIO I.

DE PASSIONIBUS.

Quem locum habeant passiones inter actus humanos, et cur de illis agat moralis disciplina. — Consule Bellarminum de scriptoribus Eccles. — Humanorum actuum quidam per se liberi, atque adeo humani, et morales sunt, et omnino interiores, et immateriales, alii sunt prorsus exteriores, qui ab interioribus necessitate quadam efficiuntur: alii sunt quasi medii, ut actiones appetitus sentientis ad quas cogitationes, seu actus phantasiæ revocamus. De prioribus actibus, quæ ad moralem doctrinam pertinebant, in superioribus tradidimus. De posterioribus nihil præterea, quæ de imperatis actibus universe diximus, quod moraliter sit disputandum, occurrit: superest ergo, ut de actibus mediis, id est, de affectibus animi, seu

passionibus, dicamus, etsi enim Philosophi naturalis sit de illis disserere, et multa a medicis de eisdem tradantur, ad moralem nihilominus scientiam spectant. Primo, quia libertatis quodammodo participes sunt, et ideo ad doctrinam de actibus humanis annectuntur. Secundo, quia sunt materia, in qua plures morales virtutes versantur. Tertio, quia horum cognitio plurimum confert ad perfectam actuum voluntatis cognitionem. Disputant autem de hac materia passionum D. Thomas in genere quidem 1, 2, a quæstion. vigesima-secunda usque ad vigesimam-quartam, de singulis vero a quæst. vigesima-quinta usque ad quadagesimam-octavam, latissime: et ante illum Vincentius Belvacensis in speculo morali, si ejus est, atque diversum tale opus: item Albertus Magnus nonnulla docet in Summa de homine, in fine primæ partis: alii theologi pauca dicunt, et in variis locis, quæ infra referemus: ex

philosophis nonnulli, secundo et tertio de anima, præcipue Ludovicus Vives multa congerit: alios in sequentibus adducemus.

SECTIO I.

Quid sit passio animæ, et in quo subjecto detur.

1. *Quid sit passio.* — Passionis nomen, ut D. Thomas 1, 2, quæst. 22, artic. 1, notavit, multiplex est, interdum enim omnis mutatio, tametsi subjectum perficiat, passio dicitur: nonnunquam vero, quæ subjectum corrumpit: in præsentem autem materia, ut Damascenus, lib. 2, cap. 22, definit, passio est sensualis motio appetitivæ virtutis ob boni, vel mali imaginationem, quæ ratio nominis ex usu, et consuetudine omnium philosophorum sumpta est, non enim dicuntur hæ passionibus, quia in physica alteratione consistant, nam in se veri sunt actus quidam immanentes alicujus appetitus vitalis, unde a Latinis vocatur proprie affectus. Tametsi Cicero, Tusculana 4, vocet perturbationes, et turbidos animi motus, et morbos. Quia vero isti affectus vim quamdam habent, et movendi humores, et efficiendi passionem in corpore, ab affectu passionibus dicuntur a Paulo ad Romanos 7, *cum enim essemus in carne, passionibus* (inquit) *peccatorum, quæ per legem erant, operabantur*: ut ibi exponit Chrysostomus, et alii, et eodem modo loquitur Augustinus, 9, de Civitate Dei, c. 4, Hieronymus, Matth. 5 et 26, et Joel. 40, et Zachar. 10.

2. *Prima assertio.* — Primo ergo dicendum est, quod omnis actus appetitus sensitivi est, et dicitur animæ passio, sic D. Thomas, quæstione illa 22, art. 1 et 2, et patet ex dictis. Sed advertenda sunt duo, primum, antiquos non omnes appetitus motus, sed eos tantum, qui contra naturam, seu rationem sunt, passionibus appellasse, ut D. Thomas ex Cicerone, Tusculana 4, et Seneca, lib. de Ira, ad Novatum, constat, quo sensu Hieronymus, supra, negat in Christo fuisse passionibus, quem loquendi modum probat D. Thomas, 3 part., quæst. 15, art. 4. Sed non est cur passionibus nomen semper in malam partem usurpemus, quia omnis appetitus motio, etsi rationi consentanea sit, potest in corpore alterationem excitari, sicque dici *passio*, et hoc modo utuntur voce *passionibus* Peripatetici, et Damascenus, lib. 3, cap. 2, et Augustinus, 14, de Civitate Dei, cap. 9. Secundo advertendum est quosdam theologos

distinguere in appetitu operationes, et passionibus illas dicunt esse actus ab appetitu elicitos, has vero minime, sed affectiones quasdam, quæ in appetitu ipso ab alio efficiuntur, ut delectatio, dolor, etc. Cujus sententiæ videtur fuisse Scotus, in 1, dist. 1, quæst. 3 et 4, et distinct. 49, quæst. 7, Bassolis in 1, distinct. 1, quæst. 2, art. 1, descriptione 4, Maironius, ibid., quæst. 2, Audifax apud Gregorium, in 1, distinct. 1, quæst. 2, art. 2, in argumentis contra primam conclusionem tribuitur Aristoteli 10, Ethic., capitibus 3, 5 et 6, et Henrico, quodlib. 11, quæst. 8 et 9, quodlib. 12, quæstione 9, et quodlib. 6, quæst. 32. Sed est falsa sententia, qui in appetitu vitæ nullus est proprie affectus, qui in sola receptione consistat, alias non esset actus vitæ, ut ex supra dictis patet, at hæ passionibus, de quibus loquimur, sunt vitales quidam affectus, et ita actus vitæ; ergo effici debent ab ipso appetitu, et non tantum recipi.

3. *Secunda assertio.* — Secundo dicendum est has passionibus neque in potentia cognoscente, neque in appetitu rationali reperiri. Hæc conclusio magis ex usu et impositione nominis, quam aliunde confirmanda est. Advertendum est ergo ex libro de anima effectum formalem cognitionis receptione quadam perfici, tametsi ad cognitionem plures passionibus concurrant, recipitur enim spiritus animalis et ipse actus cognitionis in potentia cognoscente, in appetitu vero solum recipitur actus ipse appetendi: quapropter generali quadam ratione, etiam actus cognoscendi passionibus dici possent: tamen quia alterationes illæ et commotiones humorum, de quibus *passionibus* nomen sumptum est, proprie, et per se oriuntur ex actibus appetitus, et non ex sola apprehensione, vel imaginatione, ideo *passio* proprie dicta ad affectum pertinet, non ad cognitionem, ut Augustinus supra notavit: et D. Thomas citatus addidit rationem aliam, quia *passio* (inquit) ut agens quoddam est; ad se, vel ad suum esse pertrahat ipsum, qui patitur, per appetitiones vero trahitur homo ad res, quas appetit non per solam cognitionem, et ideo in potentia appetente, non in cognoscente passionibus assignantur. Secundo advertendum est actus quosdam reperiri in voluntate, qui similes sunt illis, qui in appetitu sensitivo *passionibus* dicuntur, ut ex dicendis constabit; differunt tamen, quia actus voluntatis sunt spirituales omnino, et absque corporali organo perficiuntur: at vero appetitus materiales sunt et corporei: ex quo fit ut hi proprie, et per se excitent motum

et alterationem in corpore: illi vero minime: et propterea passionibus proprie non dicuntur, quamvis non negemus interdum sic nominari, præcipue, si absque libertate a voluntate procedant, vel ab aliqua extrinseca causa, quæ vehementer voluntatem excitet, oriantur: sicut motiones et instinctus dicuntur interdum passionibus ab Augustino 14, de Civitate Dei, cap. 6, de quibus suo loco dicendum est. Videatur etiam circa has conclusiones D. Thomas 1, 2, quæst. 35, art. 1, Durandus, in 3, dist. 15, quæst. 2.

4. *Cur ex actibus appetitus immanentibus sequantur reales transmutationes sanguinis et humorum.* — Solum posset quæri, cum actus appetitus sensitivi sit immanens, cur de illo sequatur transmutatio, cum actus immanens in sua potentia perficiatur, et per hoc non habeat vim ad efficiendum aliquid extra ipsum. Hoc dubium magis ad Philosophum naturalem, quam moralem spectat, sed breviter ex his, quæ D. Thomas, 1, 2, quæst. 17, art. 7, ad 2, et quæst. 33, indicat. Respondetur, hoc provenire ex consensione facultatum et potentiarum, quæ ab eadem anima reguntur, et suo modo ad operandum applicantur, inter quas ea facultas, quæ ad motum localem est, ut appetitui serviat, est potissimum instituta, quatuor etiam humores, et spiritus animales, seu vitales diversis appetitus motibus accommodantur, et quasi ex naturali impulsu, vel institutione, hæc omnia anima movet, prout expedit animali. Unde Galenus, 3, de Locis affectis, cap. 8, et lib. de Causis symptomatum, cap. ultimo, ait atram bilem magis accommodari tristitiæ, quæ est frigidus succus, et nigri coloris, et ideo quasi comprimit cor, sicque tristitia afficitur, et metu, et similibus: sanguineis accommodatur lætitia propter contrariam rationem; flava autem bilis accommodatur iræ, propter calorem nimium, et sic de aliis, de quibus nonnulla in sequentibus dicemus, agentes de singulis passionibus: videri etiam potest Averroes, 3 collect., c. 4, et Hieronymus Fracastus, lib. de Sympathia, et lib. 2, de intellectione, prope medium.

SECTIO II.

De bonitate et malitia passionibus.

1. *Auctores pro utraque parte quæstionis.* — De causis et effectibus passionibus nihil est, quod in genere dicamus, præter ea, quæ in Philosophia tradi solent, et quæ commodius

in particulari dicemus. De bonitate vero et malitia multum disputat divus Thomas 1, 2, quæst. 24 et 39, et fere 59, ubi quærit, an passio esse possit cum virtute morali, fuit enim inter antiquos quæstio celebris sub hoc titulo, *An affectus cadant in sapientem*. Stoicis omnino negantibus: Peripateticis vero affirmantibus, si tamen affectus moderati sint, de qua late Cicero 3 et 4, Tusc., et lib. de Finibus, Seneca supra, Aristoteles, 2, Ethicorum, cap. 2 et 6, Augustinus, supra, Ambrosius, 1, de Officiis, cap. 21 et 47, et lib. 2, de Fide ad Gratianum, cap. 3, et lib. de Incarnatione, cap. 7, et lib. 10, in Lucam, circa illud, *Pater, si possibile est*, Gregorius 2, Moral., cap. 16 et 17, consentiuntque theologi.

2. Sed forte est quæstio de nomine, supponendum est enim sine libertate nullum esse actum bonum, aut malum moraliter: et rursus appetitum sensitivum per se nulla uti libertate: ex quo certum est non omnem motum appetitus sensitivi bonum esse, vel malum moraliter, ut patet in his, qui naturales sunt, et libertatem præveniunt, de quo in materia de peccatis infra. Secundo certum est motus hos posse cadere in sapientem, atque adeo esse posse cum humana virtute, etiam heroica, quia non ita continet appetitum, ut nunquam rationem præveniat, nisi fortasse ex singulari privilegio quod philosophi non cognoverunt. Tertio certum est hos motus interdum esse malos, interdum bonos pro ratione objecti et circumstantiarum, accedente consensu voluntatis, prior pars a nemine negatur. Secunda vero debet esse certa, imo de fide, nam sacra Scriptura sæpe laudat motus iræ, vel tristitiæ, easque tribuit Christo et Beatæ Virgini, psal. 4, *Irascimini*, etc., Philippens. 2, ad Roman. 9, *Tristati estis*, etc., Matth. 26, *Tristis est anima mea*, etc. Ratio est quia cum motus voluntatis est rectus, si motus appetitus in fine cum illo consentiat, erit rectus, et a bona causa procedit, et ad bonum objectum tendit, et ipsi naturæ rationali consentaneus est, et quodammodo necessarius ad operis perfectionem: tunc enim facilius homo bene operatur, cum uterque appetitus consentit in bono opere, et ideo sæpe expedit excitare hos motus, qui sunt veluti igniculi quidam accendentes virtutem, ut Plato dixit, et veluti milites juvantes ducem, seu ut arma virtutum, ut Aristoteles dicere solebat, et refertur a Seneca, supra, cap. 16, propter quod Plutarchus, libro de Virtute morum, dixit non esse sapientis affectus radicatus evellere, quia

neque potest, neque expedit, sed ordinem eis præscribere. Confirmatur, nam affectus sæpe habent bonos effectus, ut de timore poenæ misericordia patet, ac de tristitia peccati commissi, etc., item delectatio natura sua comitatur virtutem: denique virtus non destruit naturam, sicut sanitas non destruit humores, vel qualitatem, nec musica sonum, sed temperat.

3. *Stoici negantes bonitatem in passionibus conciliantur.*— Quare, ut ego arbitror, Stoici hoc non negabant, quod ad rem attinet, quia est per se notum, sed hos moderatos motus volebant nominare nominibus *passionum*, sed *virtutum*, ut plane Cicero, supra indicat, et Augustinus etiam, supra, exponit, ex Aulo Gellio, libro 11, Noctium atticarum, et plane Seneca, epist. 119, idem docet. Qualis vero sit bonitas et malitia istorum affectuum, et cui subjecto hæreant, præcedenti tractatu dictum est, nam eadem de his actibus ratio est, quæ de cæteris, qui a voluntate imperantur. Ad dendum vero ultimo loco est, affectus immoderatos proprie non cadere in sapientem, ut sapiens est, id est, si ut sapiens operetur, in eum vero qui alias sapiens est, scilicet virtute prædictus, interdum cadere possunt, quia sapientis est interdum deficere. Aliæ quæstiones per occasionem hic tractari solent, ut, an appetitus sensitivus inclinatur ad malitiam, quam nos de vitiiis disputantes breviter expediemus.

SECTIO III.

De generali divisione et differentia actuum appetitus.

1. *Prima divisio passionum.*—Prima et vulgarissima passionum divisio est, in passiones irascibiles et concupiscibiles; sunt enim in appetitu duo genera actuum, a quibus duæ illæ denominationes accipiuntur, quas non omnes eodem modo exponunt, D. Thomas enim, et alii ita concupiscibilem et irascibilem distinguunt, ut concupiscibili tribuatur versari circa bonum absolute, irascibili vero versari circa bonum arduum: non quod difficultatem ipsam appetat. Nam, ut D. Thomas 1, 2, q. 25, art. 3, ad 2, notavit *esse arduum*, ut sic non habet rationem boni, sed mali potius: fertur ergo irascibile ad difficile, quia vim præbet ad vincendas difficultates, quæ in consequendo bono occurrunt, quocirca concupiscibilis non est tantum concupiscere, nec irascibilis tantum irasci, habent enim alios actus, ab his

vero uti notioribus nominantur, ut D. Thomas, supra, notavit, in qua doctrina omnia quæstione physica, de distinctione harum facultatum, quanta et qualis sit, illud solum ad distinguendas passiones difficile est, quod de bono arduo dicitur. Nam vel *ardui* nomine intelligitur bonum aliquod arduum, scilicet excellens, ut excellens: vel bonum supra cætera diligenda, vel bonum absens, vel quod non sine labore comparari potest aut cujus acquisitio habet aliquam rationem mali: at quidquid horum significetur, necessarium omnino videtur concupiscibilem in bonis etiam arduis versari, omnis enim amor et desiderium ad concupiscibilem spectat: amor vero et desiderium versari possunt circa bona magna: ergo. Contra vero videtur irascibile non semper versari in arduis homini, qui irascitur: nam sæpe ira oritur de his, quæ facili negotio superare possumus, et prout reperitur ira in voluntate, tribuitur Deo: quamvis respectu illius nihil arduum sit.

2. Aliter ergo possumus rationes nominum *irascibilis* et *concupiscibilis* explicare, opinor enim non duos appetitus, sed eundem diverso modo conceptum significari, in objecto enim appetitus duo considerari possunt. Primum ipsum bonum appetibile, et quæ ad illud consequendum per se conferunt: alterum est id, quod impedit talis boni consecutionem, et bono nos privat amato: appetitus ergo quatenus bonum appetit *concupiscibilis* dicitur, quatenus vero insurgit in eum, qui huiusmodi bonum impedit, ut suum bonum tueatur, *irascibilis* dicitur: quæ est sententia Avicennæ et Alberti, 2 part., de Homine, quæstione de Irascibili: et ex ratione nominum patet, et confirmatur, est enim irascibilis vis imprimens motum ad repellendum, quod noxium putatur, unde Damascenus irascibilem vocat vindicem concupiscibilis. Et ad hanc sententiam accommodari potest prior sententia, quia repellere malum, et vindictam sumere difficilius ex suo genere est, quam simpliciter prosequi bonum; ideo irascibilis dicitur versari in arduis, concupiscibilis vero circa bonum absolute, lege Scotum, in tertio, distinct. 14, Gabrielem, dist. 26, ex quibus constat qualis sit dicta divisio: et magis ex his, quæ in singulis divisionibus dicemus, patebit.

3. *Secunda divisio.*—Secundo generaliter dividuntur passiones, quod aliæ versantur circa bonum prosequendum, aliæ circa malum fugiendum, et utrumque membrum passioni irascibili et concupiscibili commune est, et ac-

tum positivum significat: differt vero appetitus naturæ et vitæ, nam appetitus naturæ eodem motu, quo tendit ad rem naturæ convenientem fugit incommodum, quia talis appetitus non fundatur in cognitione, nec fere distinguitur ab ipsa capacitate naturæ; appetitus autem vitæ per proprios et distinctos actus bonum prosequitur, et fugit malum, et hoc sensu dixit D. Thomas 1, 2, quæstione 3, articulo 1, appetitum versari circa bonum, vel malum.

4. *Tertia divisio.*—Tertio dividuntur passiones irascibilis et concupiscibilis a D. Thomas 1, 2, quæst. 33, in undecim actus, vel operationes, scilicet amorem, desiderium, seu cupiditatem, delectationem, odium, fugam, tristitiam, et has tribuit concupiscibili: irascibili vero quinque, spem, desperationem, timorem, audaciam et iram: de quorum singulis nobis agendum est, postea de ratione, et sufficientia divisionis, et membrorum comparatione, tametsi D. Thomas, in 1, 2, alia methodo processerit.

SECTIO IV.

Utrum amor sit in appetitu sentiente, et quas causas et effectus habeat.

1. *Prima assertio.*—*Amor est actus vitæ.*—Dicendum primo quod in appetitu sensitivo est quidam actus, qui vere et proprie *Amor* dicitur. Conclusio est certa, et omnium experientia patet, et ratione, quia primus actus omnis appetitus est amare suum appetibile, unde D. Dionysius, cap. 4, de divinis Nominibus, naturalem, sensitivum, rationalem, et intellectualem distinguit pro diversitate appetituum: hunc autem amorem, appetitus sensitivi, esse actum vitæ: sententia est Aristotelis, 2, Ethicorum, cap. 3, et patet, quia hic appetitus est proprie vitalis et elicitus: ergo. Confirmatur: nam vel nullus affectus est actus vitæ, vel maxime hic, qui radix cæterorum est; et in hoc consentiunt omnes Theologi: quapropter mirandum est Scotum, in 1, dist. 1, quæst. 5, hoc sine ratione negasse, quia appetitus, inquit, sensitivus non proprie inhæret appetibili, quia non ipse, se ipsum libere movet, sed quasi ab alio ducitur ad amandum, ex Damasceno, lib. 2, cap. 24, sed hoc nihil obstat, nam verus amor vitæ non requirit libertatem, ut etiam est evidens in amore beatorum.

2. *Secunda assertio.*—Dicendum secundo

quod ratio huius amoris est, ut sit veluti pondus, aut impetus sensibilis et vitalis, quo appetitus sensitivus coniungitur bono sensibili. Est D. Thomæ, supra, et patet ex alibi dictis, de primo voluntatis effectum, quem *amorem* esse diximus, et est hæc ratio amoris unicuique amori communis, et eodem modo fere explicanda: unde multa quæ D. Thomas, 1, 2, quæst. 23, de amore disputat magis in amorem naturalem, quam in sensitivum conveniunt: et explicatur, nam in omni appetitu primus affectus est propensio ad appetibile, quæ in appetitu vitæ debet esse per actum vitæ: amor autem significat primum affectum appetitus, atque adeo primum vinculum, et conjunctionem inter appetentem, et appetibile, et hinc amor dicitur unitivus; ex quo aliqui putant amorem dictum esse a verbo Græco *εἶς*, significante *ligare* seu *unire*. Hinc et amans magis dicitur esse in amato, quam in se, propter quod Plato, in Cratillo, ait amorem græce dictum a *αἶσθησις*, quod latine significat *furari*, quia appetitus amantis rapitur a re amata, quæ omnia proveniunt ex impulsu vitæ et impetu amoris, et hæc magis constabunt ex sectione sequenti.

3. *Tertia assertio.*—Dicendum tertio causas per se huius amoris esse vim ipsius animi et appetitus sensitivi, et bonitatem in objecto repræsentatam, cognitionem vero esse necessariam conditionem, cognitionem, inquam, accommodatam sensitivæ facultati, causas vero, quasi remotas, et per accidens esse similitudinem, et alia, quæ in causa sunt, ut objectum bonum conveniens appareat. Est divi Thomæ, et declaratur; nam in hoc actu, sicut in cæteris, non est quærenda causa formalis præter essentialem rationem ejus, neque materialis, aut efficiens per se, et proxima, præter potentiam appetitus, qui natura sua talem vim habet ad efficiendum istum actum, et eundem in se recipit, quia est immanens, et ad causam efficientem reducitur habitus, quando amor etiam ab illo procedit, vel aliquis etiam actus, si unus amor ab alio priori amore oriatur: finalis denique causa nulla est alia præter objectum, et rationem boni, qui appetitum ad amandum excitat: et ita patet prima pars conclusionis, secunda vero de necessitate cognitionis explicanda est, et approbanda ex dictis alibi primo actu voluntatis. Tertia pars posita est ad explicandum D. Thomam ubi supra et commune illud dictum, *similitudo est causa amoris*, sumptum ex Platone, et aliis philosophis antiquis, et ex experientia: amat enim